

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Band: - (1750)
Heft: 20

Artikel: Dissertatione logica vim argumenti quod a consensu multitudinis duci solet [...]
Autor: Breitinger, J.J.
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394682>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 19.11.2024

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>



DISSERTATIONE LOGICA (*)
VIM ARGUMENTI

quod a

CONSENSU MULTITUDINIS

duci solet, *ad d. Septembris*
expedit *A. 1748.*

JO. JAC. BREITINGERUS,

Ling. Græc. Prof. Public.

Thesis I.

QUUM viderent homines, singuli suæ imbecillitatis adversus mala ingruentia sibi conscii, quanta vis esset in consiliorum animorumque consensione, atque etiam in virium ad communia isthæc mala propulsanda conjun-

Tom. V.

Kk

jun-

(*) Conscripta est hæc Dissertatio non proprio quodam motu aut impulsu, sed hoc pietatis officium jure suo requirente Viro plurimum Venerando atque doctissimo DAVIDE LAVATERO, Philosophiæ Prof. Ord. qui gravi tum temporis morbo conflictatus, ne S. Ministerii Candidatorum ad ulteriora properantium vota sufflaminaret, mihi hoc munus imposuit: Atque etiam argumenti

junctione, quamque tutum ac certum adversus calamitates, quibus vita hominum obnoxia atque exposita est, præsidium sibi esset paratum in Societate plurium: admodum proclive erat in eam opinionem adduci, quasi in ipsa Multitudine atque plurium in eandem Sententiam Conspiratione, in se spectata, præcipuum aliquod esset rerum præsidium ac firmamentum. Ad hanc deinde alia accessit consideratio, quæ ad fidem huic persuasioni conciliandam quammaxime fuerat idonea:

delectum idem ille Vir spectatissimus, præ cuius iudicio omnes malevolorum Sufurros contemno, suo calculo probavit: Et, quod præfiscine dixerim, nostram tractationem huic Argumento aliquam lucem accendisse mihi adhuc persuadeo. Visum est autem hanc Dissertationem, cujus rariora supersunt exempla, huic Museo nostro inferre, ut cuivis potestas fieret hæc cum Bælianis conferendi, & ut larvati Scurræ Turicensis impudentia detegatur: quem ubi verum suum nomen profiteri fuerit ausus, Decas illa Candidatorum, qui hanc Dissertationem publice propugnarunt oppugnaruntque, ut bipedum mendacissimum publice coarguere possent atque turpes ejus calumnias & miseris sophistications facillima opera diluere. Atqui ne quidem isto labore opus esset, sola enim nominis professio patefaceret, dudum illum fidem omnem decoxisse. Hunc ego si virum bonum esse putarem, monerem adhuc officii virorum bonorum: Istud vero si facerem, novi, oleum & operam perderem, ille enim cum Nevio rideret meam amentiam, qui in vita ejus rationem summi officii desiderem & instituta bonorum virorum requiram. Commendabo ipsi lectionem Libelli Dornavii, qui inscribitur: HOMO DIABOLUS i. e. Sylloge Auctorum qui de Calumnia remediisque adversus eam scripserunt, qui que Francofurti An. 1618. prodit:

- - - *Sunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.*

J. J. B.

nea: observabant scil. apud omnes gentes obtinere & quasi communi aliqua lege constitutum esse, ut in judiciis de caussis civilibus, & quæ maxime ad humana commoda & vitæ tranquillitatem pertinerent, consensus multitudinis ad dirimendas lites & finiendas concertationes plurimum possit, ita quidem, ut quibus singulis, integra re, dissentire fas fuerat; ea peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum foret: In ejusmodi enim judiciis, ut PLINIUS Lib. II. Epist. XII. ad Arrianum suum de hujus consuetudinis necessitate loquitur; *numentur sententiæ, non ponderantur: Nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa, nam cum sit impar prudentia, par omnium jus est.* (a) Maximam vero huic persuasioni vim conciliavit & auctoritatem, quod intelligent, homines cetera moribus, legibus ac institutis adeo diversos sibi que invicem adversos, ut aliquando præter corporis formam vix quicquam haberent, cur ad eandem speciem referri possent; (b) nihilominus tamen in quibusdam cognitionis principiis & veritatibus Societati conservandæ admodum salutaribus ita amice conspirare, quasi re prius inter ipsos deliberata mutua isthæc consensio esset constituta: Quid enim, ut sunt homines in judicando præcipites, facilius erat quam sibi persuadere, communem Multitudinis

Kk 2

in

(a) Videatur in hanc rem Amplissimi Viri J. JAC. LEONIS *Disertatio jurid. de Pluralitate Suffragiorum in caussis Religionis: quam quum rarius obvia esset, MUSEO HELV. inferre placuit.*

(b) Videtis MAXIMI TYRII *Disert. I. ubi oratorum more hoc argumentum illustrat.*

in quacunq̄ue re Consensum infigne veri criterium & certissimam Naturæ vocem ; atque hanc sibi iudicii normam statuere, ut *quicquid in communibus hominum sensibus positum esset, id quoque in ipsa Natura situm atque fixum esse* censerent, quæ CICE-
RONIS in *Orat. pro Cluentio* verba sunt.

II.

Quapropter, quotiescunq̄ue ad humani ingenii rationem atque indolem respicere soleo, desino mirari qui factum sit, ut hoc *argumentandi genus*, quod *A MULTITUDINE IDEM SENTIENTIUM* repeti solet, usu ita invaluerit, ut promiscue ad omnis generis veritates, necessarias æque ac contingentes, stabiliendas fuerit translatum, & a doctis perinde atque indoctis tantopere frequentatum, ut nulla fere in divinis aut humanis rebus paullo gravior Quæstio incidat, in qua non ad hoc argumentum, tanquam ad sacram aliquam anchoram confugiant & certissimum se causæ suæ præsidium in eodem invenisse sibi persuadeant. Ut enim plura alia in præsentiarum omittam, non posset inveniri aliud veritatis criterium seu argumentum, quod hominibus cognoscendi quidem veri avidis, iis autem, quibus ad res cognoscendas opus est, præsiidiis destitutis & moræ omnis æc laboris impatientibus magis esset aptum & attemperatum ; quam quod fiducia in Multitudinis Consensu, in quo sine ulla tua molestia possis acquiescere, absolvitur : Simul tamen ejusmodi est, ut Critici alicujus diligentiam & multæ ac variæ lectionis apparatus & ostentationem nullo modo refugiat.

III. Nemi-

III.

Nemini, qui in Historia philosophica non plane hospes sit, potest esse obscurum, quantum in causa omnium gravissima, ubi agitur de Dei existentia, quæ omnis Religionis tam naturalis quam revelatæ fundamentum est, huic Argumento a Multitudinis Consensione petito, nunquam non fuerit tributum. Quod si plerosque (a) nostri ævi Scriptores audias, CICERO de *Nat. D.* Libr. I. c. 16. 17. hoc Argumento jam fuerat usus: in quo tamen vehementer falluntur: nam Cicero eo in loco *Velleium* Epicureum inducit de Diis disputantem, & ita quidem, ut non Deum, sed Deos esse, in eoque omnes gentes consensisse, dicat: Verba ejus præter cætera hæc sunt: *Cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio: intelligi necesse est, ESSE DEOS, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus.* De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. *ESSE igitur DEOS confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes, non Philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem Deorum.* Ex hac autem Velleii disputatione admodum perspicuum est, veteres in hoc Argumento ab omnium, hoc est secundum Velleii interpretationem, ipsius Naturæ, consensione repetito, Polytheismo præsidia invenisse. **Quam**

Kk 3

varie

(a) Ita celeberrimi-nominis Theologus J. A. TURETINUS Operum Vol. I. Dissertatione II. de Existentia Dei §. LVII. p. 118. hæc verba, hosque sensus perperam Ciceroni tribuit.

varie autem jam olim de hujus Argumenti virtute
 fenserint, ex *Cottæ Pontificis*, sub cujus persona
 nonnulli (a) Ciceronem suos sensus exponere con-
 jiciunt, oratione cap. 23. *de N. D.* manifestum
 est; ubi stoicus ille hæc ad superiorem Velleii ar-
 gumentationem reponit: *Placet omnibus fere, mihi-
 que ipsi in primis, DEOS ESSE. Itaque non pugno:*
 (b) *Rationem tamen eam, quæ a te affertur, non satis
 firmam puto. Quod enim omnium gentium generumque
 hominibus ita videretur, id satis magnum esse argumen-
 tum dixisti, cur ESSE DEOS confiteremur: quod cum
 LEVE per se, tum etiam FALSUM est. Primum
 enim unde notæ tibi sunt opiniones nationum? Equidem
 arbitror multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut
 apud eas nulla suspicio Deorum sit. . . Non est igitur
 tam explorata ista ratio ad id, quod vultis, confirman-
 dum, quam videtur. Sed quia commune est hoc ar-
 gumentum aliorum etiam Philosophorum, omittam hoc
 tempore: ad vestra propria venire malo. Quod autem
 deinde isthoc pro summi Numinis existentia Argu-
 mentum a christianis Doctoribus omni ætate ma-
 ximo loco fuerit habitum, Systemata illorum &
 Compendia Doctrinæ abunde docent, in quæ
 istud, tanquam spoliolum hostibus ereptum, &
 causæ*

(a) In hanc rem consuli meretur Viri Celeberrimi,
 Collegæ conjunctissimi & Amici ex paucis J. J. ZIMMER-
 MANNI Disertatio de Theologia M. T. CICERONIS
 in Musei Helv. Partic. III. p. 426. seqq.

(b) Licuit ergo, semperque licebit, *Cottæ* exemplo,
 Doctorum argumenta, quibus in probanda quacunque
 veritate varie uti solent, sub examen revocare, atque
 etiam si minus fuerint idonea, ea repudiare, citra nega-
 tæ veritatis suspensionem. Thesis enim propterea non est
 falsa, quod a nonneminem fuerit male probata.

causæ suæ adversus Polytheismum accommodatum, diligenter translatum est: quanquam de ejus virtute non omnium eadem fuerit sententia, aliis contendentibus, id propria quadam demonstrandi vi pollere, atque in præcipuis & palmariis pro hac veritate argumentis habendum esse; aliis contra perhibentibus, id quamvis per se & seorsim spectatum parum firmitatis habeat, (a) cum aliis tamen conjunctum atque sociatum, quoniam illorum & numerum & vim aliquantum augeat, haud parum valere. Et cui denique possunt esse ignotæ eruditorum concertationes, quæ hac nostra ætate de hujus Argumenti momento coortæ & varia fortuna agitæ sunt, postquam Vir acuti ingenii P. BÆLIUS (b) variis in libris suis varia ad infringendam hujus Argumenti in hac causâ vim in medium protulisset?

III.

Fuisse autem hoc Argumentum, a Consensu Multitudinis repetitum, ad alias quoque magni momenti veritates stabilendas translatum, testis est SENECA Epist. CXVII. *Multum dare solemus, inquit, præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri: tanquam Deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de iis opinio insita est: nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos*
Kk 4 credat.

(a) Ita Celeberrimus TURRETINUS l. f. c. disertè ait:
 „ Decimum Argumentum adjungimus (a Populorum consensu): quod si solum esset, minus forsân roboris haberet; sed superioribus additum, haud exiguam iis adfert confirmationem. „

(b) Conferant jam, qui volent, hanc Disertationem cum Bælianis, & plagii accusationem in mendaciis putidissimis habebunt.

credat. Cum de (a) ANIMARUM ÆTERNITATE disseritur, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. (b) Utar hac publica persuasione? Neminem invenies, qui non putet, & sapientiam bonum & sapere. Non faciam quod victi solent (qui ubi succubuerunt populi misericordiam implorant,) ut provocem ad populum: nostris incipiemus armis conflagere. Ex quo tamen loco id manifestum esse arbitror, ipsum Senecam non admodum præclare de hujus argumenti, cujus tam varius usus erat, auctoritate ac dignitate sensisse, qui diserte negat se eo in hac quæstione, de qua illa Epistola agit, uti velle, ne desperatæ ac profligatæ causæ patrocinari videri possit.

V.

Ceterum de promiscuo usu, seu verius abusu, hujus Argumenti, quo pro generali veritatis criterio Multitudinis Consensus habetur, neque illud omittendum est, quod omnium temporum experientia satis confirmatum dedit, non esse aliam persuasionem augmentis artium & scientiarum ac promovendæ veritati magis noxiam, funestam & adversam, atque illa est, quæ huic Argumento invictum robur tribuit, idque tanquam Lesbiam aliquam regulam, quam in omni judicio sine periculo

(a) Passim etiam christiani Doctores hoc argumento ad probandam mentis humanæ immortalitatem uti solent: vide præter cæteros Celeberr. TURRETINUM Opp. Vol. I. Disf. XII. §. XVIII. p. 328. seqq.

(b) Hac interpunctione Senecæ huic sententiæ nova lux affunditur: quum sc. hæc verba: „Utar hac publica persuasione?“ per interrogationem accipiuntur: quod poscit illa, quæ sequitur correctio: „Non faciam &c.“

periculo erroris sequi liceat, venditat: Ubi enim semel ista opinio hominum animos insedit, quasi dubium aut suspectum esse non possit, quod pluribus probatur, aut quasi vel levissima suspicio erroris, a quo præcipua aliqua humani generis vel societatis pars in transversum acta fuerit, non possit non cum eorundem opprobrio & contumelia esse conjuncta; profecto nullus emendandis pristinis institutis, aut usu confirmatis opinionibus corrigendis locus relictus est; contra vero communibus erroribus ac consuetudinibus nova auctoritas conciliatur, quam impune aut sine gravi periculo convellere nemo ausit; quis enim ob detectum aliquem errorem aut veritatem noviter inventam, universi generis humani aut integræ alicujus Societatis invidiam, simultates ac inimicitias æquo animo susciperet, postquam intellexit, se non posse in castigandis communibus hominum erroribus aut moribus quicquam tentare, quin statim calumniam insolentiæ & exprobratæ cæteris hominibus stultitiæ, incurrat? Ut taceam eo vesaniæ processisse homines hac persuasionem imbutos, ut eos non puduerit, populi, qui non alia re quam numero valet, sensibus ac vocibus (a) sacrilego ausu divinitatem tribuere, quibus fidem & assensum non adhibere summum nefas foret & piaculo dignum: Id enim, quod in communi sermone sæpe jactari audias: *Vox Populi, vox Dei*; quin inter illa prodigia referendum sit, de quibus T. LIVIUS commemorat, quod sæpe boves etiam locuti fuerint, nullus dubito.

Kk 5

VI. Age

(a) Vide Mahler der Sitten Sect. LXII. nec non CHARRON de la Sagesse Livr. I. Cap. 48. circa finem.

VI.

Age vero jam, dispiciamus quis huic argumentationi a Consensu Multitudinis locus, quis usus assignari debeat, quodve pretium ei statuendum sit. Et magnam quidem esse ac prorsus singularem Multitudinis vim variis in partibus, nemo est, qui inficias ire ausit: Primum enim in corporis viribus id adeo manifestum est, ut probatione nulla indigeat: has enim a pluribus conjunctas in tantum augeri, ut aliquando ad producendos effectus sufficiant, qui humanas facultates immensum quantum superare videntur: nihilque tam arduum aut difficile esse videtur, quod homines sociata opera efficere non possint. Deinde quin etiam in consultationibus de rebus dubiis & incertis, magna multitudinis quoad ingenii prudentiam vis sit, dubium nullum est: etenim quum eventus rerum futuri ab infinito prope circumstantiarum numero & concursu, quibus singulis haud leve est in determinando casu momentum, sint suspensi; nemo autem unus tanta animi sagacitate aut rerum usu ac providentia polleat, ut singula, quæ ad eventum hoc vel alio modo determinandum concurrunt, animo prospicere possit; recte & prudenter plures in consilii societatem adhibentur: quam consiliorum conjunctionem nos significanter designamus per *die Köpfe zusammenstossen*: hujus autem prudentiæ rationem vulgus hoc proverbio efferre solet: *Oculi plus vident quam oculus*: Quo plura autem, quæ ad propositum animi vel promovendum vel sufflaminandum incidere possunt, divinando præcipimus, eo felicius cavere possumus, ne successu careat consilium. Neque tamen, quod probe observari velim, in hujusmodi

modi deliberationibus ea Multitudinis vis est, ut unquam possit eventus certitudinem præstare: Hinc recte CICERO Libr. XVI. ad Attic. Epist. VII. *Quid debet, inquit, qui consilium dat, præstare præter fidem?* Et si in re aliquantum dubia prudentissimi quique in consilium advocarentur, singulos tamen cum eodem Tullio fateri oporteret: *Præstare culpam possum, eventum non possum.* Quid quod si nihil unquam homines suscipere vellent, nisi de cujus eventu certi forent, antequam susciperent, profecto oporteret eos otiosos in diem vivere & nihil agere. Quanquam vero ista consiliorum conjunctio certitudinem nullam afferre possit, conciliat tamen aliquam agendi fiduciam, atque etiam si minus ex voto res succedat, cavet, ne ulla neglecti officii aut culpæ admiffæ conscientia animos excruciare possit. Pari modo etiam in judiciis, ubi in causâ dubia in alterutram partem pronunciandum est, ne lites & contentiones inter cives æternæ sint, & tranquillitatem publicam labefactare possint, necessitas postulat, ut quotiescunque in diversas sententias abeunt iudices, potior suffragiorum numerus vincat, quia non alia certior componendæ litis ratio suppetit. Ubi tamen rursus non ea Multitudinis vis est, quasi ea causâ, quæ superior est, propterea semper etiam justior foret.

VII.

Longe vero alia ratio esse videtur ejus judicii, ubi non de dubio aliquo casu aut eventu, sed de veritatis in se determinatæ cognitione quæstio agitur; ubi nulla me cogit necessitas, nisi Enunciationis veritatem penitus perspectam habeam, ut in alterutram partem quicquam pronuntiem; sed
 potius

potius iudicium suspensum retinere & ad sapien-
 tem ἐποχὴν confugere æquum est, quoad major
 quædam lux affulserit: hic quid Multitudinis Con-
 sensus possit aut valeat, equidem nondum intel-
 ligo. Est enim MULTITUDO quantitas indeter-
 minata, quæ variis modis augeri ac minui potest:
 Quod si ergo in Multitudine vis aliqua ad plenam
 veritatis persuasionem inesse debet: necesse est,
 ut illa persuasio pro numero idem sentientium fir-
 mitate crescat & decrescat. Hoc vero si ita est,
 tum demum veritas aliqua eum certitudinis gradum,
 qui omni dubio superior sit, attigisse censenda est,
 si constet, universum hominum genus, ne uno
 quidem excepto, in eandem sententiam propen-
 dere. Quum vero universum genus humanum
 dico, non eos intelligo tantum, qui inde a mun-
 do condito ante nos fuerunt unquam, aut qui no-
 stra ætate in toto, quam late patet, terrarum or-
 be aura vescuntur, nobis æquales; sed in primis
 etiam illos, qui nondum nati sunt, verum quo-
 ad homines erunt, καθεξῆς alii post alios in am-
 plissimum hoc orbis theatrum prodituri sunt. Si
 enim veritatis cognitio & persuasio a consensu mul-
 titudinis pendet, fieri posset, ut, quamvis de
 communi omnium hominum, qui unquam fue-
 runt aut adhuc sunt, in aliqua re consensu nobis
 certo constaret, deinceps tamen, postquam nos
 in terris morari desimus, unus aliquis, vel etiam
 major hominum numerus exurgeret, qui univer-
 salem hunc consensum, quo certa veritas nititur,
 suo dissensu interrumperent aut etiam everterent.
 Horum vero consensum si tu minus ad confirman-
 dam veritatem aliquid valere propterea velles, quod
 illi nondum existant; næ ego te meminisse velim,
 istos,

istos, quorum consensu tua nunc persuasio nititur, aliquando etiam non extitisse; immo etiam illorum, qui ante nos fuerunt testimonio nihil decedere, quamvis non amplius inter nos existant. Ex quibus hoc confici posse videtur, isthoc Argumento neminem unquam mortalium, vel de una aliqua veritate certum reddi posse; nisi forte tibi constet aliqua ratio, qua fieri possit, ut nostrum cuiquam omnium in universum hominum, qui sunt, qui fuerunt, atque etiam qui futuri sunt, Sensus intime pateant. Quod si vero vel unus aliquis homo a communi totius humani generis sententia recedat, Consensus ille universalis, in quo veritatis certitudinem positam esse debere diximus, redditur imperfectus; atque id summum probabilitatis gradum, qui proxime a certitudine abesset, constitueret: perinde ut hoc infimum probabilitatis gradum efficeret, si unius tantum hominis assensus ad nostram aliquam sententiam accesserit, cæteris omnibus dissidentibus & in alia omnia euntibus. Minuitur enim ista probabilitas secundum numerum singulorum, qui veritati non suffragantur: Augetur vero pro numero eorum, qui eidem calculum suum adjiciunt; etenim singulis ex hominum genere inesse debet aliquod ad fidem veritati vel minuendam vel augendam momentum: ex quo patet, infinitos inter hæc duo extrema esse probabilitatis gradus, quorum determinatio a certo ac definito, qui universum genus humanum constituit, hominum numero in solidum pendeat: Medius vero inter hos, qui statum perfecti æquilibrii efficit, gradus erit, si utrinque universum genus humanum pro sententiis oppositis in duas partes æquales fuerit divisum: quod si enim

enim alterutra pars vel unico suffragio ab altera vincatur, probabilitas hujus infra dubium subsistit: Unde rursus id confici posse videtur, si hæc argumentandi ratio a multitudinis consensu valeat, nullam unquam veritatem hominibus ne quidem probabilem reddi posse: quam exiguus enim semper est eorum hominum, qui vel sunt, vel fuerunt, & de quorum consensu nobis aliquid constat, numerus, si illum cum reliquorum numero (a), de quorum sensu plane nihil nobis innotuit, aut quos alia omnia sentire compertum habemus, comparaveris: ut taceam, id semper nobis obscurum esse, nec ulla nos divinatione assequi posse, quantus in posterum futurus sit eorum numerus, qui secus a nobis sentiant.

VIII.

At, inquis, in hoc judicio, quod Multitudinis Consensu nititur, non singula hominum individua audienda esse; sufficere ad veritatem aliquam firmandam, si singulæ gentes, quæ tanquam totidem individua spectari possint, in censum veniant, quarum sensus ex publicis confessionibus & institutis optime cognosci possit. Verum ego I. non intelligo, qui singuli homines in ejusmodi judi-

(a) Huc apprime faciunt, quæ habet SEX'TVS EMPIRICVS Pyrrhon. Hypoth. Lib. I. Cap. XVI. edit Fabrit. p. 24. Ἡ τοι πᾶσι τοῖς ἀνθρώποις πισεύσομεν, ἢ τισιν. Ἄλλ' εἰ μὲν πᾶσι, καὶ ἀδυνάτοις ἐπιχειρήσομεν, καὶ τὰ ἀντικείμενα παραδεξόμεθα· εἰ δὲ τισιν; ἐπάτρωσαν ἡμῖν τίσι χρὴ συγκαταθίθεσθαι; - - ὁ δὲ λέγων, ὅτι τοῖς πλείοσι δὲ συγκαταθίθεσθαι, παιδαριῶδες τι προσίεται· ἔθενός δυναμένης πάντας τῆς ἀνθρώπων ἐπελθεῖν, καὶ διαλογίσασθαι τί τοῖς πλείοσι ἀρέσκει.

judiciis, ubi de veritatibus, de quibus singulos esse persuasos plurimum interest, citra injuriam, suffragii jure ac potestate privari possint; cum eos, quorum communis natura est ac conditio, etiam pari cum cæteris jure gaudere oporteat: quoniam igitur natura omnes homines iis instruxit facultatibus, quibus ad verum cognoscendum opus est, nullum amplius superesse potest dubium, quin omnibus ac singulis æquale etiam & commune hac in parte jus esse voluerit. Deinde si multitudinis per se aliqua vis est, singulorum, ex quibus multitudo constat & qui perinde numerum augent, in judicando debet esse aliquod momentum: quum enim *multitudinis*, *gentis*, vocabula sint termini abstracti, quicquid multitudini vel genti in complexu spectatæ tribuitur, id in singulis residere necesse est, & absolum prorsus esset, omnibus velle tribuere, quod singulis eripitur. II. Male hic illa individui *σχέσις* in subsidium advocatur, atque ad Gentem quamcunque quocunque modo transfertur: etenim in hac causa huic notionum conversioni locum non esse, inde manifestum esse arbitror, quod gens hic non ut indivisa spectari possit; quandoquidem singulis vel consensus vel etiam dissensus peculiare jus & propria quædam facultas inest. III. Quod ad publicas populorum confessiones & instituta adtinet, longe abest, ut ex his certum aliquod de vera singulorum aut plerorumque sententia argumentum capi possit: constat enim, imperitam (a) multitudinem

(a) Huc pertinet ille CICERONIS locus Tuscul. Quæst. IV. 3. „ Nam cæteri primum ante tenentur adstricti, „ quam

dinem plerumque Doctorum suorum autoritate & arbitrio niti; illos qui in populo aliquo supra vulgus sapiant & nonnisi rebus cognitis & satis perspectis assensum præbeant, paucissimos esse & quasi

- - *vanas nantes in gurgite vasto:*

tum vero etiam ex his ipsis nonnullos esse, qui quamvis aliter sentiant, (a) metu tamen consensum simulent, suos vero sensus callide diffimulent. Ut adeo manifestum sit, eos qui consensum gentium, qualis ex publicis confessionibus & institutis cognoscitur, tanquam iudicii normam, aut naturæ vocem, sequendum esse contendunt, longe a vero aberrare, ac sæpe paucorum *vulgias dō-ξας* pro communi universæ alicujus nationis doctrina admittere, atque contra animi sui sententiam paucorum suffragia multitudinis consensui longe præferre.

VIII. Quin-

„ quam quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde
 „ infirmissimo tempore ætatis, aut obsecuti amico cuidam,
 „ aut una alicujus, quem primum audiverunt, oratione
 „ capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque
 „ sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, quasi
 „ ad saxum adhærescunt.„

(a) Hanc causam, cur suspecta aliquando esse debeat publica gentis confessio, jam notavit CICERO, seu verius COTTA ad Cicer. de N. D. I. 23. „ Abderites quidem
 „ Protagoras, cujus a te modo mentio facta est, cum in
 „ principio libri sic posuisset: De divis, neque ut sint,
 „ neque ut non sint, habeo dicere, Atheniensium jussu
 „ urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in con-
 „ cione combusti. Ex quo equidem existimo, tardiores
 „ ad hanc sententiam profitendam multos esse factos; quip-
 „ pe cum pœnam ne dubitatio quidem effugere potuisset.„

VIII.

Quinimmo & alia sunt, quæ Argumentum a Consensu Multitudinis petitum suspectum reddunt, quorum nonnulla breviter & carptim exponere animus est. I. Singuli, qui conjunctim multitudinem aliquam constituunt, pro se quisque enunciationi assensum præbent ob rationes, intrinsecas maxime, quæ vel sufficiunt ad perfectam convictionem animo informandam, vel certe veritatem admodum probabilem reddunt. Quum ergo singulorum de veritate alicujus enunciationis, sive certæ, sive probabilis, persuasio ab rationibus, maxime intrinsecis, pendet; Multitudinis vero Consensus nihil aliud est, quam singulorum declaratio atque professio, se omnino in eo conspirare, quod notas veritatis aut probabilitatis perspectas habere sibi videantur; si aliqua, absque rationibus, quæ singulis ad persuadendum sufficiunt, in Consensu Multitudinis vis inesse debeat, non intelligo, in quo illa posita esse possit, nisi forte in nuda ejusdem professionis aut declarationis repetitione: Quis vero serio sibi persuaserit, solam ac nudam ejusdem declarationis ac sententiæ repetitionem per se efficere posse, ut verum aliquid esse videatur? II. Fac autem Multitudini maximam inesse vim, ejusque Consensum certum præbere veritatis criterium; tum vero sequitur Consensum multitudinis efficere posse, ut quod in se falsum est, id tamen verum esse agnoscat, seu ut ubi nullus est inter Subjectum & prædicatum necessarius nexus, ibi tamen nexus deprehendatur: Quod si enim fieri possit, ut plures in errore aliquo consentiant; consensus autem plurium certum sit veritatis argumentum; oportet

ut error hoc consensu firmatus prodigiosa metamorphosi protinus in veritatem convertatur. Bellum mehercule veri criterium! quod Fanaticismum in Philosophiam induceret, ut veritas omnis ab arbitrio & consensu hominum suspensa esse videretur, quibus si aliquando volupe esset in comitia coire, atque plurium consensu decernere, *Bis duo esse quinque; Idem posse simul esse & non esse; Effectum prius esse sua causa; Partem quamvis esse toto majorem &c.* actum esset de omni veritatis cognitione. III. Stante hoc principio cognoscendæ veritatis, quod in consensu multitudinis positum esse volunt, admittendum esset, veritatem in horas esse mutabilem, idemque progressu temporis & verum & falsum esse posse: quamprimum enim acciderit, ut major pars hominum, eam, quæ receptæ hætenus opinioni aut sententiæ contraria est, amplectantur, quod verum adhuc fuit, id confestim in errorem mutabitur, & quod falsum erat, subito in veritatem abibit: atqui experientia abunde docet, vix esse aliquam veritatem, si-ve casu aliquo, si-ve meditatione inventam, quæ ubi primum innotescere cœpit, plurimorum calculos meruerit; quin potius communis hæc veritatis fors est, ut nonnisi post longas disceptationes tandem de errore triumphet; quod b. LUTHERUS significanter ita enuntiare solebat: *Die Wahrheit muß zuerst rumoren, ehe sie zum Durchbruch kömmt.* Neque sine exemplo est, ut doctrina aliqua, quæ maximo quondam in pretio fuerat, (a) mox deinde penitus obsoleverit, atque

(a) Cartesianismus, Cocceianismus, Pietismus, Jansenismus &c. id ipsum loquuntur, qui modo steterunt,

atque tantum non oblivione fuerit oblitterata. Quapropter si consensus multitudinis valeret, nihil firmum aut stabile esset; sed sublato omnis veritatis firmamento, Contradictionis illo principio, Scepticismo lata porta pateret.

X.

Agamus vero nunc pressius, & Argumentum illud a Consensu Multitudinis repetitum in sua principia resolvamus: Ea vero hujusmodi sunt: *Quicquid plures dicunt esse aut verum, aut falsum: id pro vero aut falso habendum est.* Et quoniam τὸ dicere præsupponit opinionem & sensum animi, cujus verba nonnisi interpretes sunt, hoc principium cum altero illo æquipollet: *Quicquid plures aut verum aut falsum esse putant, illud pro vero, aut falso, admittendum est.* Quandoquidem vero hactenus a nobis ostensum est, multitudinis & consensus nullam esse per se efficaciam, tandem si quævis inest huic Argumento illa hæc erit: *Quod quis, verum aut falsum esse, dicit (putat): id pro vero aut falso agnoscendum est.* Itaque manifestum est, hoc Argumentum omnem suam probandi vim, quam habet, repetere ab auctoritate unius aut plurium. Auctoritas vero nullam persuadendi vim habet, nisi in *rebus Facti*, quæ quoniam demonstrari ob omnimodam determinationem non possunt, aut admittendæ sunt tanquam probabiles ob circumstantias singulares nobis perspectas, aut assensus nostri ratio erit tantum extrinseca, derivata ab

Ll 2

aucto-

modo ceciderunt. Memorabile imprimis est amplissim. Senatus Turicens. adversus quædam Cartesii, Cocceiique placita Edictum die 18. Jun. MDCCI, editum.

auctoritate dicentis, quo in casu illæ *credi* dicuntur. Valet ergo auctoritas aliena tum demum, ubi alia demonstrandi ratio per rerum naturam non habet locum, ubi quæstio oritur, an aliquid sit, fuerit, aut factum sit? Harum enim rerum cognitio, ubi propria experientia deest, pendet a testimonio eorum, qui illas suis ipsi sensibus usurparunt. Quoniam vero ubi semel ab omnimoda certitudine, quæ concludendo sive demonstrando obtinetur, discesseris, varii dantur verisimilitudinis gradus, qui in fidei iudicio in utramque partem momentum habent; etiam in hac causa varia probabilitatis momenta constituuntur, in quibus non postremum est, varius testium consensus aut disensus: etenim quin hic plurium consensus ad juvandam & confirmandam fidem multum valeat, nemo unquam vocavit in dubium: Quid quod ipsa divina Lege apud (a) S. MOSEN constitutum legimus, ut quotiescunque Judex in cognoscenda causa, quoniam alia indicia, rationes vel documenta deficiunt, parum aut nihil proficit, duorum vel trium testium fide & consensu omnis controversia definiatur ac dijudicetur. Non tamen hæc ita accipienda sunt, quasi in ipsa testium multitudine, per se spectata, aliqua inesset efficacia: Etenim omnis testimonii auctoritas non pendet a numero testium; sed a testantis facultate & fide; falsum enim testimonium (b),
quam-

(a) Num. XXXV: 30. Deut. XVII: 6. XIX: 15. conf. Matth. XVIII: 15. 16. I. Timoth. V: 19.

(b) Mauri, teste PUFFENDORFIO non nisi duo testes admittunt, si quidem viri probi & honesti fuerint; si vero horum suspecta fides esset, XII. requiruntur quales.

quamvis centies fuerit repetitum, aut quamvis per multorum ora transierit, perinde semper falsum est: contra si res aliqua fuerit tradita ab uno aliquo, de quo satis constat, illum rem uti est, vel gesta fuit, planissime scire, & uti sciat, ita dicere, nullus aliorum disensus ejus fidem infirmabit: Sin vero unus talis a cæteris quamplurimis dissentiat, horum consensus vim habere nullam poterit. Hinc variæ, quas in moderando assensu sequi oportet, traduntur prudentiæ regulæ, ut sunt: *In re omnibus obvia ac manifesta, hominis esset valde morosi ac difficilis, plurium consensum desiderare:*
 (a) *Cuius in sua arte potior fides adhibenda, quam vel ingenti imperitorum multitudini: Item:*

(b) *Pluris est oculatus testis, quam auriti decem. &c.*

At quoniam non semper adeo expeditum est de testis dignitate iudicium, fit, ut tum demum vis aliqua ad rem vel credibilem vel incredibilem efficiendam in plurium consensu aut disensu existere videatur, cum de testis facultate & fide parum constat; quoniam non æque facile errori locus

Ll 3 est

cunque: quasi numerus hominibus mendacibus fidem conciliare posset.

(a) Ob hanc rationem nemo unquam CASSINI, FLAMSTÆDII, HALLEII in observationibus Astronomicis auctoritatem in dubium vocavit, cui quidem singulorum in hoc genere *ἀριβεια* ac perspicacia cognita fuerat. Hinc etiam COPERNICUS constanter illorum, quamvis doctissimorum aliàs virorum, de Systemate Terræ motæ iudicium ut temerarium repudiavit, qui *Μαθησεως* puræ, Opticæ atque Astronomiæ principiorum essent ignari, sine quibus nullum detur in his rebus iudicium.

(b) PLAUTUS *Trucul.* Act. II. Sc. VI. v. 8.

est inter plures, atque etiam si ex composito agant, fraus multo facilius patefeat. Quod si vero non adeo lubricum esset illud de testis facultate & voluntate veri dicendi iudicium, nihil omnino opus esset his cautionibus, quæ a plurium consensu repeti solent.

XI.

In cæteris autem rebus, quæ alia ratione cognosci & demonstrari possunt a priori, nulla est testimonii auctoritas. Hic oportet suo quemque iudicio, sua ratione, uti, quæ homini frustra data non est; cuius vero nullus amplius usus esset, si etiam iis in rebus, quarum cognitionem sua cuique ratio suppeditat, quisque mallet temere aliorum fide niti; quod perinde ineptum foret, ac si quis suos sibi oculos evelleret, ut possit quodammodo aliorum uti. Immo vero, qui in hoc rerum genere, quæ rationis ope cognoscuntur, testimonii fide nititur, præiudicio quod vocant auctoritatis abreptus, nihil ipse quicquam recte cognoscit, [cognoscit enim tantum quid aliis de re aliqua videatur], & ab erroris periculo nunquam tutus est: Quum enim experientia constet, viros quoque in arte sua præclaros, non semper ab erroribus esse immunes, qui poterit unquam de veritate esse certus, qui non aliam habet assensus sui rationem præter auctoritatem dicentis aut opinantis? Quod si vero in his rebus auctoritas nihil quicquam valet, perinde erit, sive assensus noster unius aut plurium fide nitatur: Adeoque nulla hic vis inesse potest Argumento a Consensu Multitudinis petito. Quando autem varii generis illæ res sunt, quas cuiusque ratio cognoscit & dijudicat, age disquiramus per partes & singil.

singillatim, quid officiat, quo minus possit esse aliqua in his rebus Multitudinis auctoritas, & quamobrem illius Consensus hic potius nobis debeat esse suspectus. I. Sunt enim certæ veritates, quas non alia ratione, nisi ex unica regula divina, non ubique evidenti, ubique tamen perspicua, quantum ad fidem & pietatem adtinet, dijudicare licet: Heic ut divinæ Revelationi sua fides constare possit, duo certæ cognitioni fundamenta præstruenda sunt: alterum est, cum non omnes eundem Librum pro norma divina habeant; ut nos certi simus, quibus in Libris genuina Revelatio sit comprehensa, quam in rebus Fidei ut unicam regulam sequamur: alterum vero, ut cognoscamus, quoniam & de hoc disceptari solet, quis sit verus & genuinus locorum, quibus dogmata fidei nituntur, sensus & interpretatio. Jam vero si heic multitudo idem sentientium obtineret, certe Arianismus fuisset vera & divina auctoritate confirmata doctrina, quo tempore totus orbis se Arianum factum esse miratus est; mox deinde vero idetestanda hæresis, ubi primum fidem suam in Ecclesia iterum decoxit, & apud hominum multitudinem in gravissimi erroris suspicionem incurrere cœpit: Sæculo IV. V. & VI. pro divinitus tradito præcepto habitum est, ut infantibus quoque S. Cœnæ symbola porrigerentur; hoc ipsum vero post Sæculum XII. tanquam humanum aliquod commentum ab Ecclesia occidentali repudiatum est: Ita Paganismus Judaicæ doctrinæ olim longe fuisset præferendus; & restaurata Sæculo XVI. fidei doctrina in principio fuisset falsissima, quia erat paucissimorum. II. Sunt deinde multo plurimæ veritates e conclusionibus

sanæ rationis depromendæ, quæ aliquando a primis principiis adeo longo intervallo distant, ut (a) multo principiorum apparatu & longa demonstrationis serie opus sit, antequam convictioni animi a priori detur locus. Harum autem cognitio ab evidentia principiorum & legitima demonstrandi forma in solidum pendet. Jam vero multitudo ignorat & principia, & certam demonstrandi methodum: hinc passim videas homines, quotiescunque de certæ ac determinatæ veritatis examine quæstio incidit, ad rationes extrinsecas confugere, hic audias has atque alias hujuscemodi voces: *Hoc non est cum experientia consentaneum: Nemo vir doctus id unquam affirmavit: Unanimis omnium gentium consensus huic aserto repugnat: Non est alius similis casus, ubi idem obtineat. &c.* Et quis unquam sibi potuit persuadere, rectæ methodi applicationem, qua notiones vocibus certis certas affigimus, ac a primis cognitionis fontibus maxime universalibus per unum demonstrationis tramitem ad millenos penetramus articulos, perpetuo vinculo inter se connexos, esse hominibus ingentam ac omnibus communem? Profecto si hujusmodi quid esset aut locum haberet; [quanquam ne tunc quidem multitudinis consensus ad veritatis cognitionem aut confirmationem quicquam valeret,] melior esset vitæ humanæ conditio;

(a) In illustris WOLFII Metaphysica germanico idiomate conscripta Demonstratio de Existentia Dei CL. §§is est superstructa: ut docuit Celeberr. BURCARDUS in Dissertatione de Assensu, in Museo Helv. §. XXVII. in adjecto Scholio, p. 601. 602.

ditio; neque (a) tot extarent præconceptæ & ridendæ vulgi opiniones, tot vitiosæ conclusiones in vita civili perpetuæ, tot cupiditatum monstra; tot argumenta a φιλαυλίᾳ, commodo, sanguine, ordine, secta, suspicione, μεμψιμοιρίᾳ, dominatu in conscientias, ineptissimis modis deducta: De quibus videri possunt ARNALDUS in *Arte Cogit.* Part. III. cap. XX. Celeberrimus J. CLERICUS in *Disertatione lectu dignissima de Argumento ab invidia ducto*, & G. S. TREVER in *Disf. de Argumento ab amore ducto*. Multum autem falleris, si putes illorum, qui Docti & Literati audiunt, longe præstantiorem esse hac in parte præcæteris mortalibus atque hominum vulgo sortem: verissime jam olim illustris Baro de WOLF in *Logica* §. 1002. in Scholio adjecto in hanc sententiam pronunciavit: *Maxima pars eruditorum nullius fere veritatis convicta est, cum & propositiones universales nonnisi per inductionem incompletam a posteriori inferant, & genuinam demonstrationis formam ne confuse quidem norint, cum ne unicam quidem unquam expenderit: Hinc mordicus defendunt, quæ nec satis intelligunt, nec sufficienter probare valent. Ex defectu attentionis peccant etiam eruditi primi ordinis, vel quod in sola notione demonstrandi confusa acquiescant, neglecta distincta ex Logica haurienda, vel quod sine probatione admittant, quæ probari debeant.* Qui hæc forte

Ll 5

liberius

(a) EURIPIDES in Phœniss. v. 502.

Ἐἰ πᾶσι ταυτὸν καλὸν ἔφυ, σοφὸν δ' ἄμα,

οὐκ ἦν ἂν ἀμφιλεκτοῖς ἀνθρώποις ἔρις.

quæ illustris GROTIUS ita reddidit;

Si jus bonumque ducesent omnes idem,

Disfidia generi nulla mortali forent.

liberius dicta existimabit, ille mihi attendat ad plerorumque Doctorum studia; quorum alii naturali Logica & confusa regularum cognitione contenti, in historica Philosophiæ & superficiaria notitia acquiescunt; alii vero totam vitam in iis studiis transigunt, quæ aut tumultuaria lectione constant, aut memoriam tantum exercent, aut ingenium delectant, solida veritatis cognitione insuper habita; maxima vero pars, impatientia laboris & studio famæ, cui inepte serviunt, nunquam uni rei intenti per omnes librorum & scientiarum forulos oberrant, & sterilem librorum reique litterariæ cognitionem adfectant; passim omnia delibant & transiliunt ad assequendam Polyhistoriam; paucis diuturna adfigitur meditatio. Hæc vero quum ita se habeant, atque quoniam, ut verissime dictum est; mundus regitur opinionibus, quæ nihil stabile, nihil firmum per se habent; quis sibi poterit persuadere, vulgi seu multitudinis [est autem suum cuique ordini vulgus] Sententiis de vero & falso, de pulchro & deformi, de honesto & turpi, ita in universum suam constare posse rationem, ut illius consensus nobis pro regula, norma & exemplo, in nostris de veritate judiciis, in formando ad litterarum elegantiam Gustu, & in vita recte componenda, esse possit, quod sine erroris periculo sequamur? Quin potius ita statuamus, quum paucissimi sint, qui in turba hominum sapiant, tantum abesse, ut multitudinis consensus in rebus a sensibus remotis & soli rationi perviis (a) veritatis argumentum

(a) SENECA de Vita beat. Cap. II. „Cum de vita „ beata agitur, non est quod mihi illud discessionum

tum præbeat, ut potius, si hæc argumentandi ratio in hoc genere quicquam valeret, non levem erroris & falsitatis suspicionem movere possit. Neque unquam in iis rebus, in quibus aliqua imitationis laus est, promiscuam turbam aut multitudinem in exemplum nobis proponamus, ad quod vel orationis, vel vitæ rationes exigamus; sed, quod semper sapientis esse judicatum est, (a) placere studeamus paucis h. e. optimis.

XII.

Tu vero, concedo, ais, in abstrusioribus, a sensu remotis & reconditis veritatibus & Scientiis Multitudinem ineptum judicem esse, rebus non satis cognitis temere plerumque assensum præbere, levissimis duci opinionibus, & nonnisi per errorem aliquando id quod verum est deprehendere: Sed longe aliam rationem esse veritatum per se evidentium, quæ nobis, ut primum illarum sensum habemus perspectum, vel invitis assensum extorquent, etiamsi nullæ ejus rationes a priori suppetant, & antequam ulla externa institutio accesserit: has *προλήψεις*, seu *prænotiones* omnium animis a natura ipsa esse insitas atque impressas: In his vero, quoniam errori nullus possit esse locus, quin Multitudinis Consensus certum veritatis

„ more respondeat: Hæc pars major esse videtur. Ideo
 „ enim peior est. Non tam bene cum rebus humanis
 „ agitur, ut meliora pluribus placeant. ARGUMEN-
 „ TUM PESSIMI TURBA EST. „

(a) PLUTARCHUS *περὶ παιδ. Ἀγωγ. §. 48. Τοῖς γὰρ πολλοῖς ἀρέσκειν, τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν.* Conf. CHAR-
 RON de la Sageffe Livr. II. chap. I. & passim.

veritatis argumentum præbeat vix dubium superesse: *De quo enim omnium natura consentit, id necessario verum esse, recte ita statuiffe Velleium apud Ciceronem l. f. c. Jam vero Deum esse, mentes post mortem superesse præmii aut pænæ capaces, &c.* naturæ esse voces & in illis notionibus poni debere, quæ mentibus hominum informatæ sint & anticipatæ. Ego vero tibi largior, si ita velis, dari ejusmodi veritates per se evidentes & cognoscendi principia, cum theoretica tum practica, quæ ita per se manifesta sint, ut alia demonstratione non indigeant: Largior, dari in mente nostra naturalem quandam propensionem, proclivitatem & promptitudinem ad assensum ejusmodi veritatibus præbendum; adeoque insitam, vel potius innatam, illorum cognitionem dici omnino posse, quoniam, ut CICERO in *Orat. pro Milone* loquitur, ad eam *non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus*: Nolo enim nunc hanc de Ideis, quas vocant innatas, disputationem ingredi. Quin etiam illud concedo, posse omnino in quibusdam, quæ vera sunt, ut in notionibus communibus, omnes gentes, immo omnes homines, consentire. Hoc vero unum non intelligo, qui a te probatum sit, aut probari possit, id in quo gentes omnes consentiant, necessario etiam verum esse, seu quod idem est, Multitudinis Consensum esse certum veritatis argumentum. Primo enim ipse non potes inficiari, hanc naturæ propensionem (a) sæpius impediri, quominus sese possit

(a) Tota etiam Pythagoræorum & Platoniorum familia, qua nulla acrius pro insitis notionibus pugnavit,

possit exserere, aut in actum prorumpere; notiones illas communes veluti situ quodam & rubigine obductas, non nisi ad attentionem singularem & diligentiam explanari & a naturæ sordibus liberari: quotquot igitur pravitati suæ naturali morem gerant, nec ullam in animæ facultatibus industriam adhibeant, lucem illam animæ insitam, (sua quidem culpa) opprimere & propemodum extinguere. Fieri autem posse, ut hoc malum totum fere orbem inficiat, ut pleræque gentes, non barbaræ tantum & ab omni humanitate remotæ, sed etiam eruditionis ac sapientiæ studiis excultæ, communi quasi consensu gravissimos ac detestandos errores recipiant ac tueantur, documenta sunt omni exceptione majora, *Polytheismus, Idololatria, Τενοδύοια*, aliaque generis humani propudia. Quomodo ergo consensus gentium nobis poterit esse certum veritatis argumentum? Quod si enim omnes gentes in errore aliquo consentiant, num ex eo efficietur, ut non sit pro errore habendus? vel quodnam dabis mihi criterium, per quod notionem aliquam communem, quæ vera sit, a falsa persuasionem communi possim discernere? Etenim sive ad Rationis sive ad Revelationis normam, id in quo gentes consentiunt, præterea exigendum esse præcipias, nulla erit amplius Argumenti a Consensu gentium repetiti vis; sed assensus noster rationibus rei intrinsicis aut luculento aliquo divino testimonio nitetur. Si vero cum LUCILIO ap. Ciceronem de Nat. Deor. Lib. II. 2. ad

institutione tamen & exteriori quadam excitatione, non latentes inflammarentur igniculi, opus esse censuerunt.

ad diuturnitatem illius Consensus provocas, atque cum eo hanc Sententiam ingeras: *Opinionum commenta delet dies: naturæ judicium confirmat*: Poteris ex ipsa reliqua Lucilii oratione argumentum sumere, quam fallax sit hujus criterii applicatio: neque unquam ex solo Consensu multitudinis certus esse posses de ulla opinione, cum nescias, an non una cum sæculis ætatibusque hominum inveterare & extabescere ea possit: Ut taceam, quod & ipsa veritas, immo prima veritatis principia, huic temporum vicissitudini sint obnoxia. II. Deinde quamvis & hoc darem, illas κοινὰς καὶ ἐμφύτους ἐννοίας nunquam ita penitus & universim corrumpi ac obliterari posse, ut non luce sua ac evidentia majorem humani generis partem perstringant, & in assensum abripiant: tum vero illud mihi explicari velim, quum ad applicationem hujus argumenti ventum est, unde possim ego cognoscere, hanc vel illam Enunciationem in horum principiorum per se evidentium numero esse ponendam. Dices sine dubio, id certissime cognosci ex interno & proprio cujusque sensu atque experientia; neminem enim esse, qui se ipse paullo penitus intueri voluerit, qui non deprehendat naturalem illam proclivitatem seu instinctum, quo vel invito ad assensum certis quibusdam effatis adhibendum impellimur. Itaque secundum hanc tuam sententiam vis omnis hujus Argumenti pendet a cujusque sensu interno & experientia, hocque erit criterium veritatis per se evidentis & quæ alia demonstratione non indiget. Atqui hoc modo Argumentum illud nullam habebit persuadendi vim, nisi quoad singulos, quibus vividus iste sensus inest: Neque id quod alii, etiam si

etiamsi integræ gentes fuerint, se sentire aut simulant, aut opinantur, aut perhibent, certum potest esse assensus mei fundamentum, non potest enim efficere, ut quod ipse non sentio, id tamen sentiam: Si vero idem & ego sentio, quod cæteri se sentire prædicant, tum meus assensus non amplius aliorum consensu aut fide, sed propria mea experientia nititur. Et si Multitudinis Consensus circa sensationes suas internas tanquam cognitionis principium & veritatis argumentum constitueretur, tota Philosophia in merum Fanicismum, Bœhmismum, Weigelianismum, converteretur. Ut taceam errorem illum in experiundo, quo iudicium nostrum de re percepta cum ipsa perceptione temere confundimus, quemque recentiores Logici barbare *Subreptionis vitium* appellare solent, adeo communem & pervulgatum esse, ut totum aliquando genus humanum pervagari videatur: etenim multitudini persuasum est, v. c. Mentem actione physica influere in corpus & vicissim; Colores esse in rebus & eorum esse tanquam materiam aliquam partibus constantem &c. hancque suam persuasionem indubia ac vivida niti experientia efflicim, contendunt. III. Præterea neque illud omittendum esse censeo, quamvis etiam daremus, id esse verum, in quo omnes gentes consentiant: tamen alteram illam probationem, omnes gentes in hac vel illa sententia consentire, aut hæcenus consensisse, difficilem prorsus & operosam esse; ingentem librorum copiam, multa *ὀδύπορινα*, multamque crisin (a) in aucto-
rum

(a) Ex infinitis, exemplo esse potest Græcorum, qui & loco & ætate nos propius attingunt, doctrina, de qua

rum fidem inquirendi sibi deponere; ut adeo hæc argumentatio, si quicquam valeret, non esset admodum popularis: Illud vero, utrum etiam futura ætas sententiæ alicui sit accessura, nulla prorsus ratione cognosci. Facile autem intelligitur, (a) hanc assumptionem eo genere argumenti confirmandam esse, quod *Inductionem* vocant; quæ ut vim aliquam habeat, perfecta esse debet & absoluta.

T A N T U M.

Scriptores ita inter se discrepant, ut alii eos cum Romanensibus, alii cum Reformatis concordare testentur. Cui vero jam fides adhibenda? Quam difficilis erit hæc disquisitio?

(a) Conferri merentur de hoc Argumento ad enunciationem illam, quæ affirmat, Deum esse, applicato, Viri Clarissimi, mihiq̄ conjunctissimi J. A. ERNESTI Initia Doctrinæ solidioris, Theolog. Natur. Cap. I. §§. 19, 20, 21, p. m. 238. seqq.

*

*

*

ORA-